


## **Disputatio Theologica, Qua Veritas Historiæ Doctrinæque Mosaicæ Ex Monumentis Historicis Iisque Potissimum Insitis Adstruitur**

Tubingæ: Literis Georgii Friderici Pflückii, [1736]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853222240>

Druck Freier  Zugang





49/15.

49.


Fa-1092(49.)


1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
13.  
14.  
15.  
16.  
17.  
18.  
19.  
20.  
21.  
22.

1. Romani Toller de Philosophismo exegitico. Lips 1790.
2. Herm. Christo Engelken De stat. debitorum scripturae V. S. a manifesta pemon-  
sione vindicatorum. Aostah 1770.
3. Jo. Christiani Klemm de veritate historiae dominicae Josephinae  
ex monumentis historicis usq. perfidius in part. adfructa Tub 1776.
4. Jo. Friedr. Collae specimen secundum <sup>observatum</sup> ad Gen III, 22. Got 1793
5. Prog. de acquiescentia Dei Patris in satisfactione Jesu Christi  
ad Gen VIII, 21. Nejm 1790.
6. Phil. Dan. Krauter de sensu literali promissionum Abraham  
et injuriis femini eius factarum. ad Gen XII, 3, XII, 10, Gal III,  
16. Jen. 1798.
7. Jerem. Frederici de angeli redemptore Patriarchae Jacobi collectorum  
ad Gen XXII, 26. XVIII, 15. Hof XII, 4. Lips 1779.
8. Friedr. Guib. Stromejer de Jacobi de ~~propheta~~ <sup>propheta</sup> vaticinio Gen XXI, 7.  
14, 15. Got. 1798.
9. Jo. Rud. Andree de benedictione Jacobi ad Gen XXIX, 9-12 Brem  
1702.
10. Hens. Scholtzius de ~~et ipse~~ ad Gen. XXXIII, 2. Acton, 1790.
11. Prog. de ad Exod XII, 15. Lips 1796.
12. Friedr. Bened. Ketterer de sanguine foederis ad Exod XXIV, 8. Lips 1700.
13. Guaf. Sings de sanctione foederis Levitici ad Exod XXII, 9-11.  
Brem 1708.
14. Geor. Michael Duederlein de Candelabris Judaeorum Jacobi ad Exod.  
XXV. Witeb. 1711.
15. Jo. Christi. Hebenstreit de sacrificio a pejus offerendo ad Levit.  
VI, 26. Lips 1799.
16. Sam. Andrae de adultero nunquam legedivina imputato ad  
Leu XIX, 20. Nym. 1605.
17. a. Jo. Karl. Haefius de jurjurando. Jibes ratio pnestito ad Jos. IX. Got 1707.
17. b. Jur. Geor. Zeltner de debone inter Prophetas eruditione  
Hof 1700.
18. Programma ad Jos. 2 Sam VII, 12 Lips 1790.
19. Christo. Sam. Schaefer de dande contra Nabalam ad 1 Sam XXIV, 22 Lips 1700.
20. And. Geor. Wichner de Endorensi Proestigi adrice. ad 1 Sam XXVIII, 16 1730.
21. Sam. de dande, in abitarum victore, crudelium numer ex ante Got ad Sam  
VIII, 2. Got 1798.

22. Baeth. Rebelius de Davide peccante et penitente ad Romam  
 xxii et Paralipomenon. xxii. Argent. 1685 rec 1708.
23. Sam Aug. Junghans de terra Ephraim Lips 1737.
24. Geor. Christo. Bachfeld de unione Elifaci ad 1 Reg xxii, 16. Lips 1708.
25. Sam. Otto Wahrendorff de resurrectione Jobi cum lotere facta  
 cum Paralipomenis Crasii Jobi 1730.
26. Seb. Götfrid Ranki Diss. in loca quaedam Psalmorum Davidis in  
 eandem regis sui et dicit Vindobonensis male adhibita Josephus 1706.
27. Progr. de regis chersine eloquii ad Pf. H. Helmsi. 1713.  
 apud
28. Paul Gjongjosi a Pettjen de conione D. Elpher cometa ad Pf  
 xiv. 2. Gaus ad Viadr. 1797.
29. Jo. Geor. Neumannus de spe melioris uitae ad Pf. xviii. 17  
 1701 rec 1716
30. Christo. Aug. Hermann Commentarius in Pf. xxix. Jobi 1790.
31. Geor. Ludov. Oederus de Pane Angelorum ad Pf. xxviii. 25. Onid. 1730.
32. Paul Gjongjosi a Pettjen de aureo cadelatro templi Davidis ad Pf. xxix. 105. Lips 1730.  
 Leu xxiv. 4. Apraxij 11. 1. simbolo Davidis ad Pf. xxix. 105. Lips 1730.
33. Geor. Ludov. Oederus Commentatio in Prov. 6. xxiv. Onid. 1704.
34. Wurdem Commentatio in Ies. vii. 9. 9. ibi 1734.
35. Joh. Friedr. Koberus de 543 Ies. 12. 6. Grae 1662.
36. Jo. Phil. Pfefferus de Christo vero Deo ad Ies. xlv. 14. 15. Regni  
 1605. Rec. Hamb 1739.
37. Mich. Naetherus de Christo Deo affixito ad Ies. xlv. 15. Witob 1690.
38. Joh. Jac. Dofius de Sponsae ornatae splendoris ecclesiae et I simbolo  
 ad Ies. xlii. 10. Lips 1728.
39. Joh. Meißnerus de pluuia mystica ad Ies. lvi. 10. 11. Witob. 1675.
40. Joh. Geor. Michaelis de cane simbolo Prophetarum ad Ies. lvi. 10. 11. Fests. 1733.
41. Joh. Christo. Helsenreich de Jesaiae Cop. ad xlii. com. 19. in. D. uellben  
 30 Lips 1707.
42. Dietl. Horn. Kemmerich de eloquentia Jeremiae ad Jerem. 11.  
 Lips 1703.

43. Andr. Daniel Hubenthal de statutis non bonis Israeli a  
Deo datis ad Exod. XXX, 25. Boff. 1699.
44. Georg. Friedr. Wichel de jueneris Calorum ad Mag. XIV, 2. Pa  
1790
45. Jo. Mich. Polieff Jonar incusstratus et indicatus contra Hera-  
von der Handt. At Halberst. 1720.
46. Carp. Gotfr. Muddinus de gloria templi secundi ad Mag. II, 10.  
1661. reus Jan 1719.
47. Jon. Cov. Schramm de concordia et discordia templi secundi ad  
Mag. II, 10. et de de II, 1. Helmsf. 1738.
48. Prop. de sanatione in alio solis in istitia ad Maccab. IV.  
1. ger. 1797.
49. Jurb. Geor. Zeltnerus de virgine erudita Judaea per transpennam  
veritate ad Zach. VI, 7. Hel. 1717.
50. Jon. Cov. Schramm de Maccabaeis de resurrectione montuorum  
veritatis testibus ad 2. Maccab. VII, 1. Helmsf. 1700.





35.

PHILOSOPHISMO  
1750

SVR. AVSTRIACAE  
MAGNIFICENTIAE ACADEMIAE  
REGIA AVCTORITATE

ROMANVS FELDER A.M.  
PUBLI-  
CIS ET REGIIS EXPONDIS  
AD QVOD TITVLM RECTORIS

3.

*Q. D. B. V.*

*DISPUTATIO THEOLOGICA,*  
QUA  
**VERITAS HISTORIÆ  
DOCTRINÆQUE MOSAICÆ**  
EX  
MONUMENTIS HISTORICIS  
IISQUE POTISSIMUM INSITIS  
ADSTRUITUR.

---

*P R Æ S I D E*  
**JOHANNE CHRISTIANO  
KLEMMIO,**  
SS. Theol. Doct. & Professore Publ. Ordin.  
ac Superintendente,

In Auditorio Hyberno  
*Ad Dies Decembris MDCCXXXVI.*

Respondentibus  
M. MATTHÆO KLEMMIO, Aschensi,  
M. JOH. FRIDERICO ENSLINO, Heydenheimensi,  
M. SIXTO JACOBO KAPFFIO, Schorndorffensi,  
S. Theolog. Cultoribus, Candidatis Examinis  
& Ducalis Seminarii Alumnis.

---

*TUBINGÆ,*  
Literis GEORGII FRIDERICI PFELICKII.

Small white rectangular label on the left edge of the page.

Faint, illegible text visible through the paper, likely bleed-through from the reverse side. Some words are difficult to discern but appear to include "DIPUTATIO", "VERITAS", "DOCTRINA", "JOHANNES", "PHILOSOPHIA", "MORALIS", "PHYSICA", "MATHESIS", "MUSICA", "POETICA", "HISTORIA", "GEOGRAPHICA", "COSMOGRAPHICA", "METEOROLOGICA", "ASTRONOMICA", "MEDICINA", "JURISPRUDENTIA", "MAGISTER", "ARTIS", "LIBER", "P. 100".



§. I.

**E**A vivimus tempora, quibus medios inter Christianos, maximo Christiani nominis opprobrio, haud pauci religionis revelatae veritatem aperto Marte aggrediuntur atque non dubia tantum sua contra eam proponunt, sed etiam palam eam negant atque impugnant; alii vero & numero quidem plures, etsi idem cum prioribus cornu sufflent, quoniam vel in publicum prodire non possunt, vel, variis rationibus præpediti, nolunt, aliam scenam instituunt & vel tectis tantum moliminibus rem agunt, vel inter suos solum animi sui sensa denudant; omnium autem maxima pars, uti religionis revelatae dogmata inde usque à juventute cum lacte materno hausit, sed ad majorem, quam historicam atque parentum, præceptorum totiusque hominum, inter quos vivunt, cœtus autoritate nixam fidem haud pervenit; ita ore equidem religionem veram profitetur, sed internæ ejusque spiritualis convictionis expertus & de ea vel plane non sollicita, vel, si veterum excutiat, in partem deteriorum ob naturalem corruptionem pronior vel ad minimum

A

mum

num fluctuans conspicitur. Accedit his hominum generibus tertium, quod licet vera fide sit præditum inque ea confirmari omnino gestiât: attamen sive ex imbecillitate carnis communi, sive ex speciali ingenii dispositione, sive ex majori seductionis periculo, sive alias ob causas in varios circa hanc materiam sæpe angores conjicitur, ex quibus divino auxilio extricari desiderat. Quibus ita se habentibus, facile apparet, multiplicem Theologo imponi necessitatem & veritatem religionis revelatæ solide adstruendi & dubia, quæ ad eam impugnamdam proferuntur, dextre resolvendi atque adeo id agendi, ut, quantum est in ipso, dissentientes convincantur, eoque ipso convertantur, alii vero in agnita veritate confirmentur.

§. 2.

Equidem ab initio statim haud abs re quæri potest; an deceat & necessarium sit, ut revelationis divinæ inter Christianos demonstretur veritas, imo an licite saltim hac de re toleretur controversia? ita ut revelatæ religionis veritatem impune sit, palam impugnare. Atque tantum omnino abest, ut hæc videantur affirmanda, ut potius modis omnibus sint neganda. Nam cum revelatio divina sit omnium Christianorum principium, in quod tota eorum fides resolvitur, eo minus, si de statu eorum ordinario & absoluto loquamur, vel decet, vel necessarium est, hujus principii veritatem probare, quo planius est, contra negantes principia, non esse disputandum: secundum Philosophum enim imo sanam rationem ἀποδείξις ἀρχῆν ἐκ ἀποδείξεως, principiorum non est demonstratio, quod non tantum de principiis absolute primis, quæ ex terminis sunt evidentiæ, sed hætenus etiam de iis, quæ

quæ in suo genere sunt prima, verum est, ut nimirum quamdiu & quatenus genus hoc agnoscitur, tamdiu controversiæ locus sit nullus. Quicumque igitur religionis revelatæ veritatem, atque eo ipso Christianorum principium negat, eopse Christianum se non esse & vel nunquam fuisse, vel Christianismo excidisse, profiteretur, ut cum ipso ceu Christiano agere non liceat, & si Christianis semper liceret dubitare, an revelata religio sit vera, certa & sufficiens? in infinitum fluctuandum ipsis esset, quod est absolum. Itaque Christiano qua Christiano revelatæ religionis & Scripturæ veritas probanda non est: In una quaque scientia, inquit Alphonsus à Castro, principia in ea notissima, tanquam communia omnibus arma, quibus sublati, ut Aristoteli placet, nullus disputandi relinquatur locus, nullumque telum, quo confingere possis adversarium. Ne ergo in posterum pluries disputandum esset de Scriptura, oportuit primum statuere, quæ Canonica sit, cui credere quisque teneatur. Nam sicut in aliis scientiis prima earum principia, nullus, qui eas profiteretur, negat, ita in negotio fidei pro unico & indubitato principio à quolibet, qui se pro Christiano gerit, haberi debet, verum esse, quicquid in sacris codicibus continetur. Credi enim par est, non solum à Christiano, verum etiam ab ethnico mediocriter pio & de Deo ea solum, quæ naturali luce haberi possunt, sentienti, Deum ita veracem esse, ut mentiri nequeat. \* Nec minus scite Gerlachius quondam Nobili, demonstrationem, veram esse Religionem Christianam, exigenti, regessit: Ich habe vermeynet, der Juncker sey ein

A 2

ein

\* Adv. hæz. Lib. I. Cap. 2. fol. 2. Adde testim. Augustini L. VI. Confess. c. 5.

ein Christ : Aber ich sehe wohl, er ist ein Heyd ; darum muß ich mit ihm handeln , wie mit einem blinden Heyden.\* Nimirum alia est ratio agendi cum infidelibus, alia cum tentatis. Etsi enim eadem hactenus sint argumenta, quæ veritatem revelationum divinarum vi & robore suo persuadent, quæve proin omnibus ex æquo videri possint applicanda : attamen eatenus melior tentatorum est ratio, quoniam principium ipsum non prorsus possunt diffiteri, sed magis circa ejus applicationem & confirmationem hærent, neque adeo desiderare etiam iis fas est, ut ex sola ratione secum agatur, quæ in methodo cum infideli secus se habere videntur, cum & ipsum neget principium, & non aliud adeo principium, quam experientia & ratio, utpote ab ipso admissa, in disputatione cum ipso videri posset applicabile. Enimvero licet indubium sit, disputantes in principiis inter se debere convenire atque adeo cum veritate conveniat, in controversia cum incredulis experientiam & rationem utriusque principia utrinque concessa, esse adhibenda : non tamen largiri possumus, solum rationis principium in hac cum infideli controversia locum habere, quoniam, si sola ratio sufficeret, fide non esset opus & licet hanc non agnoscant increduli, ad eam tamen agnoscendam obligati sunt, adeoque, præsertim inter Christianos versantes, prætereundere non possunt, ut hujus obligationis suæ absolvantur. Quid enim evidentius est, quam, quod res sensuum, sensibus, res rationis, ratione & res fidei, fide sint dijudicandæ. Denique quod quæstionem attinet, an licite inter Christianos hæc toleretur controversia? facile ex jam dictis apparet, si statum tentationis excipias, ordina-

\* vid. Synopf. Thummii edit, Pfaff, p. 39.

dinarie neque interne neque externe licitum esse, ut veritas religionis revelatæ à quoquam Christianorum, vel solo etiam nomine talium, vel etiam inter Christianos tantum versantium, in dubium revocetur, multoque minus impugnetur. Quî enim, quod ipsam directe tollit fidem, inter fideles esset tolerabile, quî, quod directe tendit non tantum in opprobrium ipsius religionis, sed etiam eorum, qui religionem hanc profitentur, non dicam in foro interno conscientiaë Christianorum, sed etiam in foro externo æquis animis possit ferri? Equidem non ex professo hanc quæstionem nunc pertractamus, quæ potissimum ad forum pertinet politicum, utpote qui non id agimus, ut increduli pœnas dent, sed eorum convictionem & conversionem potius ante oculos habemus: at dolemus tamen merito, id quod ex causa satis nota ob nimiam indulgentiam apud Anglos & Batavos prorupit exterius incredulitatis venenum, apud alios clam habitum, nostram quoque Germaniam haud leviter afflasse, atque stragem non unam jam dedisse, plures etiam, nisi DEUS clementissime avertat, daturum in posterum.

§. 3.

Itaque operæ pretium esse, ut argumentis ad convincendas conscientias non malitiose refractarias facientibus fidem nostram confirmemus, nemo quisquam, cui veritas cordi est, diffitebitur. Equidem notius est, quam ut pluribus exponi desideret, veritatem Religionis Christianæ non tantum à Patribus Ecclesiæ, non tantum à Scholasticis, quos vocant, non tantum ab omnium societatum Theologis creberrime adstruetam atque defensam esse, sed etiam prolixiorē postulare operam, quam, quæ dissertationum Academicarum cancellis queat con-

stringi. Neque nostri nunc erit instituti, historiam hujus rei literariam, quæ & ipsa satis est proluxa, ediffere, cum labore hoc scriptores, qui in omnium sunt manibus, luculenter sint defuncti, ad quos lectores ablegamus.\* Sed cum inter assertores Religionis Christianæ inter recentiores sint haud pauci, qui è Scholis Socinianorum, Arminianorum, Rationalistarum, quos barbare vocant, &c. proficiscuntur, quorum speciosi licet & acuti satis labores, eo minus tamen fructus vere theologici consequuntur, quo magis id incredulis largiuntur, in quo præcipuum causæ suæ præsidium quærunt, nimirum rationem uti omnium rerum theologicarum, ita & controversiæ hujus principium atque judicem esse infallibilem, eo ipso impare cum his antagonists Marte congruuntur, atque vix sibi nedum aliis Religionis Christianæ veritatem, quæ altiore nititur principio, persuadent. Quare, cum supra jam observaverimus, res fidei fide dijudicandas esse, oppido necessarium est, ut vera huic rei substernantur principia, ne aërem feriamus & in cassum laboremus. Præterea etsi totum hujus negotii ambitum exhaurire, prolixissimum omnino esse, non negemus: attamen eo magis è re Studiosorum nostrorum erit, si in nuce quasi tradamus, quæ sua natura satis alias diffusa atque dispersa sunt, cum præsertim propria nostra cogitata haud raro simus allaturi, quo minus  
 ipsis

\* Bigam Virorum Doctissimorum nominasse & evolvisse sufficiat, Magnific. Dn. Cancellarium D. Pfaffium in Hist. Theol. Liter. Lib. III. p. 3. seqq. atque Jo. Albert. Fabricium & in Biblioth. Græcæ Vol. VII. p. 96. seqq. & ex professo in Delectu argumentorum & syllabo Scriptorum, qui veritatem Religionis Christianæ asseruerunt, ut Sagittarium, Schmidium, Dornium, Buddeum, Langium, Wolfium aliosque taceamus.

ipsis plerumque, supellectile literaria destitutis, ad ipsos autores, qui hac opera prolixius sunt defuncti, patet accessus. Denique ne nimium nostra excrescat tractatio, hac vice de sola veritate revelationis & doctrinae Mosaicae eo magis erimus solliciti, quo magis ipsa Religio Christiana hoc fundamento nititur, neque inter nostros, quod sciam, fuit, qui ex professo hoc argumentum pertractaverit, quove magis reliquarum quoque divinarum revelationum eadem est ratio, qua in re ipsos Naturalistas, ita enim barbare vel etiam Deistae, nobis enim perinde erit, vocantur, quibus hic obviamus, appellare poterimus testes, procul dubio fassuros, si revelationis Mosaicae veritas ad liquidum queat deduci, reliqua in vado esse. Neque obstat, hodiernos Judaeos, licet Mosaicam veritatem agnoscant & profiteantur, Christianae tamen revelationis veritatem & divinitatem prorsus diffiteri. Praeterquam enim, quod justo Dei judicio *καλυμμα* Mosis cordibus eorum sit impositum, mera sunt praesudicia, pertinacia & stupor, quae Judaeos excaecant, qui si vel rationem sequerentur ducem, ab ipso Mose ad Christum necessario adducerentur.\* Ut autem in tractatione nostra servemus ordinem, veritatem historiae & doctrinae Mosaicae primo ex monumentis historicis iisque potissimum insitis, deinde ex aliunde assumtis & exoticis, tertio ex thavmaturgicis, quarto ex prophetis, quinto ex dogmaticis probabimus, denique sexto praecipuas incredulorum objectiones solvemus atque adeo themati huic satisfacere, annitemur. Faxit DEUS Triunus, Pater, Filius & Spiritus S. feliciter!

§. 4.

\* Confer. Philippi à Limborch Amica Collatio de Veritate Religionis Christianae cum erudito Judaeo.

§. 4.

Judæorum dari hodieque gentem , ut ad rem ipsam nunc aggrediamur , eamque Republica destitutam & in totum fere terrarum orbem dispersam , cum experientia stultorum magistra constet , indubium est & irrefragabile. Tam autem illustre & veritatis religionis nostræ & , qua olim ipsi Judæi erant gavisi , id præbet argumentum , ut quotiescunque Judæum videmus inter nos obambulantem , toties vivum hujus rei habeamus monumentum. Sive enim à primis rerum originibus ad nostra usque tempora descendendo processerimus , sive à nobis ipsis usque ad Mosen ascendendo progrediamur , semper veritas Religionis Mosaicæ atque adeo etiam nostræ dispalescet. Eadem nobis hic methodo uti licet , qua proterviam Atheorum , quos tamen directe nunc confutare , animus non est , utut demonstrata Mosaica veritate Atheismus etiam necessario corruat , retundimus , nimirum ex dubitante de divina existentia quærentes , num Patrem habeat ? cumque id negare non possit , pergendo , numne & Patri Pater fuerit ? & sic porro. Hic enim vel ad ultimum Patrem necessario erit deveniendum , isque vel Deo Conditori & Patri asserendus , vel ex terra , ut fungi putantur , vel fortuito casu Atomorum Epicuri instar immani & in hominem rationalem non cadente stultitia profiliisse , dicendus , vel generationes prorsus infinitæ , initio carentes : cum tamen omnem generationem habere initium , sensus & ratio doceant , contradictorie prorsus asserendæ erunt. Sed cum id nunc non agamus , Mosaicam veritatem ab una epocha ad alteram progrediendo atque ita primo quidem à primis initiis descendendo , deinceps ascendendo demonstramus. Testimonia autem veritatis vel in ipsis monumentis

mentis Mosaicis habentur, vel aliunde ex scriptorum exterio-  
 rorum suffragiis ad illorum confirmationem desumuntur. Principio omnium gentium origines à Mose  
 panduntur & ita quidem panduntur, ut veras eas esse, neque dubitatum fuerit unquam, neque cum ulla ratio-  
 nis specie dubitari possit. Ut enim de generationibus ante dilu-  
 vium nihil dicamus, eum in finem allatis, ut à quibus Ecclesia ortum habuerit & per quos fuerit conser-  
 vata, pateat, utque historiæ suum constet caput & initium, gentes, quarum post cataclysmum ortus tradit  
 Moses, adeo sunt indubiæ, ut magnam partem in hunc diem usque superent. Ita enim, ut quarundam tantum  
 injiciamus mentionem, Phrygia originem debet Goma-  
 ro, Japheti filio, quod non tantum nominis ratio docet, <sup>גומר</sup> enim est igne consumere, *Phrygia* autem est ἡ Φρύγισσα  
 torrefaciens, teste Hesychio, regio *καλακενωμένη*, regio  
 combusta eidem & Diodoro dicta, Chaldæis *קדמא*, sed  
 etiam situs respectu Judææ aquilonaris, ab Ezechiele indi-  
 catus cap. XXXVIII. v. 6. Accedit Josephum dicere: τὰς  
 μὲν γὰρ νῦν ὑπὸ ἑλλήνων Γαλάτας καλεῖσθαι, Γομαροὺς δὲ λεγόμενας, Γο-  
 μαροῦς ἐκλίσειεν. Quos nunc Græci Galatas vocant, olim Go-  
 marenses dictos, Gomer condidit. Constat autem Ga-  
 latiam Phrygiæ partem esse.\* Denique Togarmæ pos-  
 teros Phrygibus conterminos fuisse, ex eodem Ezechie-  
 lis loco apparet, sive partem Cappadociæ sive Syriæ con-  
 stituerint conf. Ezech. XXVII. 14. Alios populos aquil-  
 onares Magogi filii Japheti progeniem esse, ex Ezechie-  
 lis cap. XXXVIII. palam est. Scythas plerique interpre-  
 tantur

B

\* Ut autor est Strabo Lib. XII. & Plinius Phrygiam Galatiæ conterminam facit Lib. V. Cap. XXXII. eamque in Phrygiam majorem & minorem divisam fuisse, ex Livio ostendit Cellarius Geogr. Antiq. Lib. III. C. IV. p. 141. seqq.

tantur ex. gr. post Josephum, Eustathium, Hieronymum, Theodoretum, Bochartus, Hottingerus, Hillerus, Clericus, Castalio, Vatablus, alii: sunt vero etiam, qui Syriam intelligunt, quod Hierapolis hodie Aleppo, olim dicta fuerit Magog. Syri, inquit Plinius, eam vocant Magog. \* Ita sentiunt Maimonides, \*\* Shuckfordus, Junius, qui ait: Magog est 1. nomen Viri illius Gen. X. 2. qui citeriorem Ciliciam partesque Syriæ conterminas incoluit: 2. regionis quoque istius, in quam irruerant Scythæ, qui inde Magogi nomen obtinuerunt, & antejam dixerat: Gygartha urbs Syriæ, corrupte dicta pro Gog Kartha i. e. urbs Gogi sive Gygis, quia ad eos usque fines Scythæ, quos Gygadæ in Asiam pellexerant, armati pervenerunt, cum Gyaxarem Medorum Regem debellarent. \*\*\* Quo ipso duæ hæ sententiæ conciliari possunt & conveniunt; cum primo Syri deinde Scythæ victores has terras, quas hodie Turcæ obtinent, inhabitaverint circa Caucasum, hebraice מן חסן munimentum Gogii, quod docte ostendit Bochartus. Medos à Madai filio Japheti ortos esse, nemo dubitat, cum & vocis flexus & usus apud Esteram \*\*\*\* & Danielelem, \*\*\*\*\* quibus מלכי מדי sunt Reges Medorum & usus Græcorum teste Josepho satis id doceant. † Pars Mediæ septentrionalis dicebatur Hara 1. Par. V. 26. Jones Homero Jaones à Javane filio Japheti descendere, iterum vel ex nomine constat. Consentit uterque Josephus. Ben Gorion enim, inquit,

\* Lib. 5. c. 23.    \*\* In Halicoth therumoth c. 1. §. 9.

\*\*\* In Cap. XXXVIII. Ezech.    \*\*\*\* c. 1. 3. 14. 18. 19. c. 10. 2.

\*\*\*\*\* c. 5. 28. c. 6. 8. 12. 15. c. 8. 20.

† Meminit Mediæ Strabo Lib. XI. p. 350. Diodorus Lib. XIV. cap. XXIII. Plinius Lib. VI. cap. XXVII. Tacitus Lib. XV. cap. XXXI. & alii.

inquit, בְּנֵי יוֹן הֵם יוֹנִים הַיּוֹשְׁבִים בְּאַרְץ מַקְדוֹנִי אֵהָא filii Javan  
 sunt Jones habitantes in terra Macedoniae. Alterique  
 Josepho dicitur Jonus & regio LXX. Interpr. Ἰωνίς. Jo-  
 niæ autem toties fit mentio, ut autores adferre sit super-  
 fluum. \* Accedit suffragium authenticum Danielis, qui  
 Alexandrum, Macedoniae Regem vocat מֶלֶךְ יוֹן c. VIII.  
 §. 21. Hujusque filius Elifa fuit pater Citthiem h. e. Græ-  
 corum. Josepho Elifæ posterii sunt Æoles, Chaldæis Hel-  
 lades. Maxime intelligunt Peloponnesum, Acropolin to-  
 tius Helladis verbo Strabonis: Favent, inquit, Hottin-  
 gerus, \*\* argumenta sequentia. Primo Ezechiel cap.  
 XXVII. 7. Elifa facit אִיִּלִּים Insulas sive peninsulas. Notum  
 est autem Peloponnesum constare Achaia, Elide, Mes-  
 senia, Arcadia, Laconica & Argolide, totidem pene in-  
 sulis. Secundo insulis Elifa tribuit propheta idem אִילָּה וְאַרְגֵּמָן  
 hyacinthum & purpuram, ex quibus vestimenta  
 Tyrii concinnavere. Constat autem purpuram olim ma-  
 gna copia parari solitam in maritimis partibus Laconicæ.  
 Byssinum ait Plinius Lib. XIX. 1. ubi de asbestino loqui-  
 tur, circa Elim in Achaia gigni, idque mulierum in de-  
 liciis esse. Tertio in Peloponneso est Elia seu Elis regio  
 antiquissima & amplissima Olympiæ & Cyllenes celeberrimarum urbium hospitium. Quid autem Elis est nisi  
 Elifa? Certe Homerus jam sua ætate unam partem vocat  
 Alisium, ut de antiquitate nominis illius nulla omnino  
 dubitatio superfit. \*\*\* Citthiem vero esse insulas Græ-  
 corum

B 2

\* conf. Cellarii Geogr. Antiq. p. 67. seqq.

\*\* Histor. Patriarch. Exerc. XXIII. p. 444.

\*\*\* conf. Bocharti Phalec. p. 76. Hilleri Syntagm. p. 133. seq.  
 Et Citium civitatem Græciæ fuisse, Straboni, Nepoti, Plu-  
 tarcho, Diodoro, Plinio &c. memoratam, nemo nescit.

corum vel Macedonum in mare Ægæio plura docent. Alexander enim Magnus, filius Philippi Macedonum Regis dicitur venisse ex terra Citthiem 1. Macc. I. ψ. 1. ejusque excidium Tyri tribuitur Citthiem Jes. XXIII. 6. illius naves prædicuntur venturæ ex Citthiem Num. XXIV. 24. atque naves Græcæ Legatum Romanum in Ægyptum venturæ dicuntur naves ex Citthiem Dan. XI. 30. Denique Perseus Rex Macedoniae, devictus à Romanis, Rex ex Citthiem audit 1. Macc. VIII. 5. Tibareniam vero & Armeniam Moschicam Tubari & Mesecho deberi patet, quia Strabo cum Hecatæo Tibarenia meminit & de Caucaso loquens, montes Moschicos & Colchicos usque ad Tibarenos extendit \* & Epiphanius in Ancorato inter Japheti gentes ponit, *Τιβαρηνός, Χάλυβας, Μοσσωιανός*, Tibarenos, Chalybes, Mossynoecos. Diodorus vocat *Τιβαρηνή χώραν*, quam Ezechiel conterminam fecit Javanis progeniei Ezech. C. XXVII. 13. Quanquam Josephus Iberos h. e. Hispanos Iberi, ut vocat & Cappadoces Mosochi, ut appellat, posteros constituat. Thraces à Thiraso Japheti filio profectos esse, communis docet consensus & veterum & recentiorum. Targumim תרס reddunt תרקי Thraces. Et apud Thraces vicinosque populos evidentia hujus nominis vestigia superesse, qualia sunt Athyras portus in Propontidem exiens, Thyras Urbs Mysiæ in Thracia, Thaursi Thraciæ populus prope montem Hæmum, quorum etiam Livius meminit \*\* Bochartus monstravit, uti etiam apud veteres Mars Thracum Deus *Θέρας* Thuras dicebatur & Martis filius primus Thracum Tereus. Ascenacis progeniem Bithyniæ, Troadis, Phrygiæque minoris nec non

---

\* Libr. VII. p. 357. & Libr. XI. p. 617. conf. & Ciceronis Ep. IV. ad Caton. Libr. XV.      \*\* Lib. XXXVIII.

non Ponti accolas constituunt laud. Bochartus & Hillerus, qui idem Antecessor noster in Professione Linguæ Hebrææ Tharschischi posteros Hispanos, Gallos & nos Germanos facit. \* Et de Ascenace quidem res est indubia, cum non solum sinui Asiatico, Ascanioque lacui & amni in Bithynia & Ascaniæ regioni & urbi & Ascaniis insulis in Troade & Phrygia: sed Ponto etiam Euxino nomen fecerit. Ita Hugo Grotius: ita alii non indocti sentiunt, inquit Hillerus. \*\* Sed Tharschischi posteros Hispanos, Gallos atque Germanos esse, non æque liquidum esse videtur. Eusebius equidem primus Hispanis seu Iberis hunc ortum tribuit & ex Scripturis huic Javanis filio & Japheti nepoti oras contigisse maritimas, ex mercatura celebres, satis apparet nim. ex Jes. XXIII. 10. 14. Ezech. XXVII. 12. 25. Cap. XXXVIII. 13. Jon. I. 1. Josephus tamen Tharso, inquit, nominis sui originem Tharsi debent. Nam olim ita vocabatur Cilicia, cujus hodieque monumentum extat, quia urbium præcipua Tharsus fuit appellata. \*\*\* Josepho nuper demum adstipulatur etiam Shuckfordus. \*\*\*\* Joh. Clericus alias ad Gen. cap. X. habet conjecturas. Quanquam vero hæc pro plane compertis non habeamus, Dodonios tamen occidentalium conditores non sine fundamento constituimus. Duo autem in transitu præmonemus, primo Dodonim æque ac Cithem nomina non filiorum, uti post alios nuper quoque Shuckfordus & Clericus arbitrantur, sed gentium esse, ut sensus locorum Gen X. 4. 1. Par. I. 9. sit: Filii vero Javanis, Elisa & Tharsis, nepotes ex Elisa Cithii, ex Thar-

B 3

\* conf. præsertim ejus Disput. de Origine Gent. Celtic. in Syntagm. p. 121. seqq.      \*\* loc. laud. p. 126.

\*\*\* Antiquit. Jud. Libr. I. cap. 6.

\*\*\*\* In Harmon. Script. & Profan. Lib. III, p. 112, seqq.

*Tharfe* Dodanii vel Rhodanii. \* Secundo cum nominis Dodanim & Rhodanim eadem sit potestas, quæ vagantes, migrantes denotat, inscite admodum magnus alias Bochartus in voce Dodanim corruptionem admisit. Non autem melius, sed pejus etiam duplicem hic errorem commisit Clericus, utrinque non Rhodanim, ut Bochartus, sed Dodanim legendum esse opinatus, atque adeo præter rem, uti etiam alias sæpe, textum corruptionis arguens, deinceps nomen Citthem atque adeo etiam Dodanim pro singulari habens. Creditur quidem, inquit, vulgo כתיים plurale esse, quasi à כת *Ceth* singulari; sed sine ratione hoc à Grammaticis affirmatur, neque enim usquam extat id singulare. Non satis etiam constat, an à Massorethis huic nomini puncta sint recte apposita. LXX. habent Κήτιοι non Κίτιοι & Num. XXIV. 24. Κήτιες secundum Romanum, Κήτιες vero secundum Alexandrinum Codicem. Similiter & in aliis locis variant libri. Vulgatæ Versionis exemplaria Cethim & Cetthim habent. Forte efferendum fuit hoc nomen כתיים *כתים* cum scheva sub prima, ut כדיל *bdil* plumbum. Sed hæc quidem, à Clerici censoribus nondum obelo notata, facile confutantur. Nam plane falsum est, sine ratione à Grammaticis affirmari, כתיים & כתיים pluralia esse; ipsa enim terminatio pluralis rectius virum potuisset edocere, quæ in voce כדיל, ut vel pueri norunt, plane est alia. Deinde non opus est, ut horum nominum singulares extant; cum non fuerit occasio in paucis istis Codicibus hebræis omnes voces in singulari afferendi & alii plurales, quorum singulares non extant, imbecillitatem hujus rationis

\* vid. hæc post Bochartum probantem Hillerum nostrum loc. cit. p. 132. seq.

cinii fatis ostendant. Tertio vel ex ipsa LXXvirali & Vulgata, quam adfert, rectius potuisset sapere, utpote quæ constanter pluralem, ut vel ipse refert, habent; quicquid sit de diversitate λέξεως, & sive κήτιοι per η & unum ταν efferant, sive non; quod enim κήτιοι sit reddendum, prorsus sine ratione à Clerico affirmatur. Denique tota hæc crisis nititur falsa Viri hypothese de novitate punctorum, demum à Massorethis additorum, quæ dudum est explosa. Ut autem ad Dodonios revertamur, quia כהה junguntur, quos Græcos seu Macedones esse, ostendimus; vix dubium est, per eos intelligi Dodonæos in Epiro ad Jonium mare, ab oraculo Dodonæo celebres, ex quibus Pelasgi in Thessalia atque ex his Romani atque verisimiliter etiam Galli, ubi Rhodanus se in mare mediterraneum exonerat, nec non Germani, qui ex oceanico litore in Rheni, Amisii, Visurgis & Albis ostia penetrarunt, sunt orti. Hinc enim hi posteri Japheti dicuntur Dodanim & Rhodanim h. e. migrantes, Vandali, Germanice Wanderer ab ambulando, Suevi à Schweben vagando, Galli à Wallen seu peregrinando, Varini Fahrner à pergendo, Vineti à Wenden à vertendo, Pelasgi à ηωλα ab emigratione Hesychio γένε πολυπλάνησι. &c. A Græcis vero από τῆ κέλλειν in universum Celtæ vocantur; κέλλειν enim est navem appellere, quia ex Asia pulsi, navigiis ad litora Hispaniæ, Galliæ & Germaniæ pervenerunt, uti etiam Didonis Phœnissæ nomen figuratum est ex plurali οἰηη pro οἰηηη vagationes. Sic enim Etymologus in Διδώ, Didonem ait, cum antea Elissa vocaretur, appellatam esse postmodum Tyrriorum lingua Didonem διὰ τὸ πολλά πλανθῆναι, τῆ γὰρ Φοινίκιον Φωνῆ τὴν πλανήτιν Διδώ πρὸς κροεῦσαι, quia multum est vagata. Phœnicum enim sermone vagam Dido appellari. \*

§. 5.

\* conf. Dissert. laud. Hilleri de Orig. Gent. Celtic. tot.

§. 5.

Jam Semitarum etiam propagines eadem ratione breviter dabimus, de quibus Josephus affirmat, quod Asiam ab Euphrate usque ad mare Indicum inhabitaverint. Helami primogeniti Semi posteros esse Helamitas, in Susiana & Perside vel ex Act. II. 9. constat. Hujus regionis mentionem injicit Strabo, inquit: *Τῆ Σαυσίδι ἢ ἑλυμαίτις, καὶ αὐτὴ Τραχῆσια ἢ πολλὴ καὶ λησεμῆ.* Susiæ conjungitur Elymaitica, quæ magna ex parte aspera est & latronibus referata. \* Denique etiam ex Prophetis res est liquida Jes. XXI. 2. XXV. 25. Jer. XLIX. 34. Ezech. XXXII. 24. Dan. VIII. 2. Indubium porro est Assyrios esse ex Assure. Non enim id tantum ex etymo, sed etiam ex constanti sacrorum & profanorum patet usu. In scripturis videantur loca ex. gr. Jes. X. 5. XIV. 25. XIX. 23. XXX. 31. XXXVI. & XXXVII. tot. Jud. II. 12. Apud profanos vero nihil regno Assyriorum est notius. Imperium Assyrii, qui postea Syri dicti sunt, mille trecentis annis tenuere, verba sunt Justini \*\* : *ἔτοι δὲ ὑπὲρ μὲν Ἑλλήνων ἑκαλέοντο Σύροι: ὑπὸ δὲ βαρβάρων Ἀσσύριοι ἐκλήθησαν,* inquit Herodotus in Polyhymnia. Et Tragædus in Hippolyto ait: Quicquid Assyria tenus tellure Nereus pervium rostris secat. Themistius *Ἀσσύρια γράμματα*, † Virgilius venenum Assyrium †† Dioscorides *Ἀσσύριον λίθον*, Assyrium lapidem de genere Jaspidium adfert. ††† Et Strabo Assyriis accenset Babylonios, Elymæos, Paræteos, Gordyæos, Arabes, Syros ab Ægypto

\* Libr. XVI. p. 512. & Plinius: Susianen, inquit, ab Elymaitide disternat amnis Eulæus Libr. VI. Cap. XXVII.

\*\* Lib. I. c. 2. p. 10. † Orat. IX.

†† Georg. III. Conf. tamen Cellarius Geogr. Antiq. Lib. III. p. 762. ††† Lib. V.

pto usque ad Pontum. Nescio autem, cur Clericus dicat de Assure: Cæterum dubium est, priusne regionis, an Viri nomen hoc fuerit; tum si Viri nomen fuit, an id regioni indiderit, an vero ex beata regione ipse duxerit; nam אשור beatum significat, & si Josepho credimus Antiq. Lib. I. Cap. 6. Assyrii μάρισα ευδαιμόνησαν, maxime omnium felices fuerunt, & sane beatissimum eorum solum fuisse discimus vel ex 2. Reg. VIII. 32.\* Hæc sane crisis prorsus est nulla. Cum enim quicumque in singulari à Mose afferuntur filii & nepotes Noachi, Viri sint, & vel plus vices in solo X. Cap. Gen. mentio filiorum, Patris, fratris, primogeniti &c. fiat, neque vel uno exemplo docere potuerit Clericus, ita gentium meminisse Mosen, ut stemma, ut Pater, ut Viri nomen non præponatur, quam vanum sit, de Assure aliud cogitare, palam est. Atque ut Noachum, Semum, Chamum, Japhetum, Nimrodum &c. pro Viris non habere, insania foret, ita par est ratio reliquorum, in singulari allatorum; imo fieri non potest, ut gentes sint, quæ Virum aliquem & Patriarcham non agnoscant originem. Itaque dubium non est, Assurem Gen. X. Virum esse, neque regionem Viro, sed Virum regioni nomen dedisse, uti postea Num. XXIV. 22. pro gente accipitur. Neque diversum sensit Josephus, illo ipso, quem excitavit, loco Clericus, asserens, Assuram, quem vocat, urbem Ninum ædificasse atque Assyrios, quos sibi subjecerit, de suo nomine vocasse, qui reliquis celebriores & feliciores fuerint. Et quid obstat, quo minus ipse Patriarcha à beatitate & successu æque fuerit appellatus, ac regio ab eo oriunda? Ab Arphaxado Principe suo Arphaxadæi proveniunt, inquit Josephus, qui hodie Chaldæi vocantur. Neque satis causæ videtur esse recentioribus

C

Bochar-

\* In Commentar. ad Gen, Cap. X. p. 109,

Bocharto , ejusque sequacibus Hottingero , Clerico &c. cur ab hac sententia ea propter discedant , quia Moses כשר Chaldæorum constituat Patrem Gen. XXII. 21. & in loco Gen. XI. 31. manifesta sit prolepsis. Uti enim hoc facile damus : ita ex priore non consequitur , Arphaxadi posteros aliquam Chaldææ partem non constituuisse. Accitato enim loco totidem verbis de Kemuele dicitur , quod Syri ab eo profiscantur , nec tamen id obstat , quin Arami posteri sint Syri , in quo consentiunt Josepho Viri ante laudati. Ab Aram , inquit ex. c. Hottingerus , Josephus deducit Syros. Neque aliter Interpretes vel Græci vel Latini. Et ipsi Scriptores exotici Homerus vel Nonnus meminerunt Arimorum , quos Syros esse largiuntur Posidonius & multi alii apud Strabonem. Cæterum cum Syri olim se extenderint à Tyro seu Tzur ( unde dicti sunt Syri quasi צור ) usque ad extremos Assyrios , palam est , non omnes hos populos censi posse propaginem Arami , cum alii eodem nomine venientes à Canaane , alii à Casluchim , alii ab Assure , alii ab Arphaxado ( quo ipso , quæ in §. XLIII. Bochartum secutus , dixerat , iterum resorbet & refutat ) trahant originem.\* Atque Ur Chaldim Mesopotamiam fuisse , Stephano asserenti Act. VII. 2. seqq. merito adstipulamur. Nec est , cur plura de Aramo dicamus , quo de , Josephus inquit , Aram Aramæos , qui apud Græcos Syri dicuntur , progenit , & populi , qui olim Ludæi vocabantur , nunc Lydi originem & nomen à Ludo acceperunt. Hi Græcis Mæones dicebantur à tortuoso Mæandro. Filii vero Arphaxadi & Arami pluribus itidem populis nomina fecerunt. Posteros filiorum Arami & Joctanis filii Arphaxadi,

\* Histor. Patriarch. Exerc. XXIII. §. 45. p. 459.

xadi, quorum in Scripturis rarior est mentio, mittimus, vel etiam in Iosephi narratione acquiescimus. Pelegus vero Arphaxadi filius ex duplici ratione est memorabilis, primo quia à divisione orbis nomen est fortitus, quod in nativitate factum esse, sine ratione dubitat Clericus, secundo quia Ecclesiæ per Abrahamum propagandæ fuit conservator. Tharah enim ejus fuit abnepos, Abrahami, Nachoris & Harani Pater. Et Nachoris quidem progenies erat Hutz, in cujus terra fuit Hiobus, Arabia nimirum deserta ad Euphratem annem Hiob. I. 1. Ptolemæo Ausitis dicta. \* Triplex nempe fuit Utz, hoc Arabicum, alterum ab Utzo Arami filio proveniens ad oxum annem, qui in mare Caspium effunditur: atque Utz in Idumæa Gen. XXXVI. 28. Alter Nachoris filius fuit Buz, qui nepotem habuit Elihu, in desertæ vel Scenitidis Arabiæ parte Job. XXXII. 2. Tertius Kemuel, Pater Syrorum circa Damascum Gen. XXII. 21. Quartus Chesed, Chaldæorum quos Græci vocant, conditor, quo de supra jam egimus. Quintus fuit Bethuel Pater Labanis & Rebeckæ in Padan-Aram, Hoseæ Cap. XII. 13. vel שדה ארם Sede-Aram agro fativo Mesopotamiæ. Haran pater erat Lothi, à quo Moab cum Moabitis Gen. XIX. 36. seqq. & Hammon, à quo Hammonitæ sunt profecti Gen. XIX. 38. Num. XXI. 24. Deut. II. 19. 20. III. 11. 16. 2. Sam. XXIII. 37. 1. Reg. XI. 1. XIV. 31. Abrahamus vero præter Isaacum, Ismaëlem Hagaris filium, qua de Gen. XVI. & XXV. 12. seqq. Gal. IV. 21. seqq. & ex Ketura filios habuit. Ismaëlis filii erant Nebajoth, à quo Nabathæi 1. Maccab. V. 25. Kedar, cujus posterii Cedareni 1. Par. I. 29. Cant. I. 5. Jes. LX. 7. Jer. II. 10. XLIX. 28. Ezech. XXVII. 21. Ps.

C 2

CXX.

\* vid. Vitringæ Geograph. S, Cap. V. de sede Jobi p. 16. seqq.

CXX. 5. Duma, unde urbs Arabiæ, quæ & Dumatha, ut Glaucus ait secundo antiquitatum Arabicarum ap. Stephan. fol. 3. à Duma Ismaëlis filio dicta. Ismaëlitæ quippe natio ad austrum & orientem Palæstinæ & Syriæ in Assyriam usque extendebatur Gen. XXV. 18. verba sunt Hilleri. \* Chadar, à quo est Chadrach regio prope Damascus Zach. IX. 1. Thema, unde regio Thema Job. IV. 1. VI. 19. Jes. XXI. 14. Jer. XXV. 23. Kedem, quare filii Kedem dicti Ismaëlitæ Jud. VII. 12. coll. Jud. VIII. 10. 24. Jes. II. 6. XI. 14. Pl. CXX. Jetur, unde Ituræa, ut patet ex I. Par. V. 19. Mentionem ejus facit Strabo Libr. XVI. Plinius Libr. V. c. 32. Cicero, Virgilius, Lucanus, ut reliquos filios Ismaëlis taceamus. Filii, quos Abraham ex Ketura sustulit, sunt 1. Zimran, ex quo nati videntur Reges Zimri Jer. XXV. 25. & Samarini Plinii Hist. Nat. VI. 28. 2. Jokschan, cujus filius Scheba & Dedan, à quo Aschurim, Letuschim, Leummim, qui uno vocabulo dicti Dedanim five posterii Dodanis, qui condidit urbem Idumææ Dedan Jes. XXI. 13. Jer. XXV. 23. 3. Medan, à quo Medanitæ Gen. XXXVII. 36. conf. Baruch Cap. III. 23. 4. Midjan, Midjanitarum Pater, conf. Num. XXV. 6. 5. Schuach, ex hujus stirpe fuit Bildad Jobi amicus Job. II. 11. XXV. 1. 6. Jischback Gen. XXV. 2. Keturæ filii, Arabiæ gentes, Cananæis ad originem sitæ, fuerunt. \*\* Isaci filii erant Esavus, dictus etiam Edom & à polenta rufa Gen. XXV. 29. seqq. & à pilorum rubicundo colore, quare regio ejus amplissima אדום Edom, & gens ipsa Edomitæ vel Idumæi, ipse Edom, Græcis Erythrus vel Erythra appellatur. Idumæa regio est Syriæ, teste Plinio Libr. V. à meridie contigua Arabiæ, à qua Libanus eam dividit habetque Civitatem Idumen Phœ-

\* Onomast. Part. II. p. 797. \*\* vid. Hilleri Syntag. p. 226.

Phoeniciæ conjunctam & abundantem palmis, ut ostendit Lucanus Libr. III. dicens: Et arbuſto palmarum dives Idume. Et Virgilius ait: Primus Idumæos referam tibi Mantua palmas. Libr. III. Georg. Plane autem ſtolidi ſunt Rabbini, Edom habentes pro Imperio Romano, cum Idumæa, ut omnes norunt, ſita ſit in Aſia, Imperium autem Romanum in Europa, ut alias rationes taceamus. Cæterum crebra cum in ſacris Idumæorum tum in profanis eſt mentio, vid. Gen. XXXVI. 8. 9. Num. XX. 18. XXVI. 18. 2. Sam. VIII. 14. XVIII. 14. 2. Reg. VIII. 20. XIV. 7. 2. Par. XXV. 12. XXVIII. 17. Pf. CXXXVII. 7. Jeſ. XXI. 11. XXXIV. 5. Jer. XLIX. 7. Thr. IV. 21. 22. Ezech. XXV. 11. 13. XXXII. 29. XXXV. tot. XXXVI. 5. Am. I. 11. Obad. 5. 1. De Erythra vero, à quo mare Erythræum accepit nomen, videndi Strabo Libr. XVI. p. 535. 536. Mela Libr. III. c. 7. & Curtius Libr. VIII. De Jacobo, ab ipſo Deo Iſraëlis nomine inſignito, à quo tota Judæorum gens proficiſcitur, mox dicemus ſigillatim.

§. 6.

Quibus autem gentibus Chamus Noachi filius originem dederit, jam porro demonſtrandum eſt. Filii Chami, inquit Moſes, ſunt Cuſch, Mizraim, Put & Canaan. Gen. X. 6. Cuſchum conditorem eſſe Æthiopum & veteres & recentiores ſere conveniunt. Et licet diſſentire videantur ex recentioribus Bochartus, cui Hillerus in Diſput. de Calamitate Æthiopiæ ad Cap. XVIII. Jeſaiæ reſpondit, Clericus, Shuckfordus, qui Cuſcho Arabiam tribuunt, tamen facile cum veteribus in gratiam redeunt, ſi cum Hottingero inter Æthiopiam orientalem & occidentalem diſtinxeris, quarum priorem magis, quam poſteriore inſinuere Moſen, omnino Bocharti argumenta evincere

videntur. Nimirum intelliguntur Æthiopes, qui litora Asiæ & Africæ circa mare rubrum occupavere.\* Et Cuschi quidem progenies, ut ex dicendis patebit, plures omnino tractus incolis oppleverunt. Crebra Cuschitarum in sacris mentio v. gr. Num. XII. 1. 1. Par. IV. 39. 40. 2. Par. XII. 3. 1. Sam. XV. 7. 2. Sam. XVIII. 21. seqq. Jer. XIII. 23. Ezech. XXIX. 10. Dan. XI. 43. Am. IX. 7. Nah. III. 9. &c. Filii Cuschi erant Seba, unde Sebaim Josepho Sabæi, in Arabia felice ad sinum Persicum, quo fit, ut eorum terra Cusitis appelletur Gen. II. 3. cujus incolæ homines proceri Jes. XLV. 14. etiam cap. XI. 3. Jes. & Psalmo LXXII. 10. accitati. 2. Chavila, cujus posterii ad Pichonem Gen. II. 11. & ad aquilonem Amalekitidis confederunt Gen. XXV. 18. Jos. XV. 39. 40. Susianæ incolæ. Ad Cuschi posteros in scripturis etiam referuntur Troglotytae, qui ad Austrum Ægypti à Ptolemæo collocantur, Herodoto Æthiopes dicti conf. 2. Par. XIV. 9. XVI. 8. Jes. XX. 3. seqq. XVIII. 1. Ezech. XXIX. 10. Nah. III. 9.\*\* Secundus Cuschi filius fuit Mitzraim hoc est מִצְרַיִם בן filius angustiarum. Cespitavit hic Bochartus & cum eo alii, \*\*\* non pro Viro, sed pro regione Ægypto hanc vocem poni, opinatus, quod Viris dualia nomina non tribuantur, merito eapropter notatus ab Hillero. Mirum, inquit, id literatissimo homini excidisse, neque adeo ei in mentem venisse Virorum vocabula Appajim, Ephrajim, Schacharajim, quibus omnino dualis contigit

\* de Æthiopia conf. Cellarii Notit. orbis Antiq. Libr. IV. Cap. VIII. p. 231. seqq. Vitringa in Jes. Cap. XX. p. 788.

\*\* vid. Hilleri Syntag. p. 10. 11.

\*\*\* Præsertim etiam Vitringa cum in Geograph. Sacr. p. 32. tum in Comment. in Jes. XIX. p. 714. seqq. quo loco admodum late & erudite de regno Ægypti differit.

git terminatio. Sed in eo vel ipse etiam aliquantum lapsus est Antecessor noster. Si enim Mitzraim sine addito sit Vir, eodem pacto & כהים esset Vir & דורנים, quod ipse confutavit Vir doctus & de gentibus accipiendum esse, recte ostendit. \* Deinceps in ipso loco & לודים & כנענים & נפתחים & פתרים & כנלחים essent virorum, non gentium nomina, quod ejus expositioni & veritati plane adversatur. Itaque hætenus verus quidem est Bochartus, quod duales & plurales absolute positi non sint Virorum nomina, sed, uti, quando de urbibus dualis dicitur, בית subintelligitur & quandoque expresse additur v. gr. בית רבלתים, quando de fontibus sermo est עין reticetur, ut עין ענלים conf. Job. XXVIII. 28. coll. Ezech. XLVII. 10. sic quando Viri intelliguntur, בן subauditur. Sic אפרים ipse Jacobus exponit בן פרת Gen. XLIX. 22. Sic & Appajim est בן אפים, Schacharajim בן שחרים &c. Certum igitur Mitzraim Viri nomen esse, \*\* sed nec minus certum, eum Ægypti conditorem fuisse, in quo & sacri & profani consentiunt. Africæ hæc fuit & est regio notissima, cujus toties in Scripturis fit mentio, ut loca vix adferri possint omnia, videantur ex. gr. vel sola vaticinia contra Ægyptum Jes. XIX. 1. 11. 18. C. XX. 3. Jer. XLIII. 10. C. XLIV. 30. C. XLVI. tot. Ezech. XIX. XXX. XXXI. Ægyptus, inquit Pompon. Mela Lib. I. Asiæ prima pars, in duas dividitur partes. Plura de Ægypto habet Plinius Lib. V. & inde Ptolemæus Lib. IV. cap. 5. Nondum, ait Josephus Messræorum nominis interit memoria. Omnes enim incolæ Ægypti regionem vocant Messram & Ægyptios Mef-

\* Syntag. p. 132. 133.

\*\* Quod etiam contra Bochartum erudite evicit Relandus in Palæstina p. 46. seqq. sed cum ea tamen, quam dedimus, cautela legendus.

Mesraeos. Hodie Meser dicitur. Mansit idem vocabulum in mense *mesor* & in urbe Babylonæ prope Memphim, quam Ægyptii & Arabes Meser vocant, uti Arabibus Misra & regio & metropolis dicitur. Ptolemæo Ægyptus inferior. \* De filiis vero Mitzraim eorumque posteris in Philistæo Exule ad Gen. X. 13. 14. sufficienter egit Hillerus, quem locum ita vertit: Mitzrajimus genuit Lydos \*\* & Mœonios & Lycios & Pamphylios; Cilices quoque & Solymos, unde egressi sunt Palæstini & Cappadoce, \*\*\* quibus brevitatis studio nihil addimus. Tertius Chami filius fuit Put, Libycarum gentium conditor Jer. XLVI. 9. Ezech. XXXIX. 5. Put, inquit Josephus Libyam possedit atque incolas de nomine suo Putæos appellavit. Est etiam in Mauritania fluvius, qui hoc nomen habet, de quo in Scriptoribus Græcis sunt vestigia, qui hujus fluvii & adjacentis regionis Phule mentionem faciunt. Quare Hieronymus ait: Phut Lybiæ, à quo & Mauritaniæ fluvius usque ad Phut dicitur, omnisque circa eam regio Phutensis. Multi scriptores tam Latini quam Græci hujus rei testes sunt. † Put sive Pul, verba sunt Hilleri, Africanæ gentis conditor. Inde & Afrorum nomina: Potiphar, Potiphera, Putiel focer Eleasar, nomen in Ægypto natum Ex. VI. 25. Pythius Apollo, is est Put, qui etiam פול אב Abpul, quod Græci efferunt Apollo, id est Pater Pul, †† qui & Putus. ††† Quartus Chami filius erat Chanaan, unde, ut per se patet, Chanaanæ est, nimirum Judæa, Phœnicia & Syria. Sanchoniaton vetustissimus scriptor rerum Phœnicarum & ex eo Philo Biblius pro Chanaan contracte scribunt *χνα* apud Euseb. de Præpar. Evang. Lib. I. c. 10. unde terra ipsa dicta *χνα*, observantibus Lexicographis Stephano, Budæo, Calepino. Proinde, inquit Hottingerus, etiam LXX. Interpretes Chananæorum Phœnicem promiscue usurpant & quam mulierem Chananæam appellavit Matthæus C. XV. 22. eandem Marcus C. VII. 26. Syrophœnicissam vocat. Accedit, quod & olim Eupolemus Lib. de Judæorum Assyria memoriæ reliquit, ex Saturno ortum esse Bælum & Chanaanem & hunc nempe Chanaanem genuisse τὸν πατέρα τῶν Φοινίκων Patrem Phœnicum apud Eusebium

\* Golius in notis ad Alferganum. \*\* de quibus & Polyænus Stratag. Lib. VIII.  
 \*\*\* In Syntagm. p. 166. seqq. conf. etiam de regione Philistæorum Relandum in Palæstina p. 54. seqq.  
 † In Tradit. Hebr. †† Onomast. S. p. 556. ††† ibid. p. 665.

sebiū Lib. IX. cap. 17.\* Denique ut filiorum Chanaanis nempe Sidonis & Chethi posteros brevibus perstringamus, Sidoni ortum referunt acceptum Sidonii, Curtio Sidones, urbis antiquissimæ Sidonis à piscium ubertate, ut Trogus notat, dictæ & antiquis historicis æque ac poëtis notæ, auctores. Chethæorum mentio fit Gen. XV. 20. Jos. I. 4. Num. XIII. 29. 2. Sam. XI. 3. & primi erant, quos Deus internecioni devoverat Deut. VII. 1. & inhabitabant Hebronem & Bersabam ad Austrum terræ Chanaan. Sidonis prosapia erant Harkæi, cives urbis Harkæ circa Libanum, quorum fit mentio apud Ptolemæum & Josephum ex Menandro Antiq. Libr. I. c. 7. Sinæi, Hieronymi testimonio Arcais proximi Jos. XLIX. 12. Arvadæi vel Aradi in Arado Insula. Aradii sunt, inquit Hieronymus, qui Aradum insulam possederunt, angusto freto à Phœnicis litore separatam. Meminit ejus & Strabo Libr. XVI. p. 518. & Ptolemæus Antaradum vocat. Pomponius Mela convenienter etymo urbis Antradi, eos ædes alienis tectis substratas habuisse affirmat Libr. II, c. 7. Simaræi Jonathæ & Hierosolymitano Interpreti Emesini ab Emesâ Syriæ urbe dicti. Metropolis gentis Simyra. vid. Plinius Libr. V. c. 20. & Stephanus Σίμυρα, inquit, πόλις Συρίων. Nec dubitat Hottingerus, quin Semarus autor sit urbis צמרים Jos. XVIII. 22. Denique Chamathæi, unde Amathus Syriæ, bis nominata Herodoto. Græcis dicitur Epiphania vid. Num. XIII. 21. XXXIV. 8. Jos. XIII. 5. Jud. III. 3. 1. Reg. VIII. 65. magna dicta Amoso Cap. VI. 2. Chethæi erant Jebusæi, à quibus ipsa Hierosolyma nomen habebat Jos. XVIII. 28. Jud. XIX. 10. Zach. IX. 7. Jebusæorum fit mentio Deut. VII. 1. Amoræi, præcipua in Chanaanitide gens, cujus variæ fuerunt sedes, ut ex sequentibus apparet locis Gen. XIV. 7. 13. XXIII. 8. 10. Num. XIII. 29. Deut. II. 20. Jos. VII. 7. IX. 7. X. 5. XII. 21. Jud. III. 34. 35. XIX. 10. 11. 2. Sam. XXI. 2. Gergaschæi trans Jordanem, ubi Civitas Gergasa Matth. VIII. 28. Marc. V. 1. Chivæi, qui Sicymis Gen. XXXIV. 2. & in Libano ad introitum Chamathæ habitabant Jud. III. 2. conf. etiam Gen. XV. 19. Deut. VII. 1. Jos. IX. 1. 7. Jud. III. 3. Præterea etiam mentio fit tanquam incolarum Chanaanitidis, Hawæorum Deut. II. 23. Jos. XVIII. 23. 2. Reg. XVII. 31. Cananæorum speciatim sic dictorum Num. XIII. 29. Jos. XI. 1. 3. Jud. IV. 2. Kenæorum Gen. XXV. 18. 1. Sam. XV. 7. Kenizzæorum Gen. XXXVI. 11. 15. Kadmonæorum Gen. XV. 19. &

D

Periz-

\* Exercit. XXIII. p. 490. 491.

Perizzæorum Gen. XIII. 7. Ex. III. 8. Esth. III. 8. Jer. III. 13. Atque ex his judicari nunc potest, an recte se habeat Josephi divisio, qui sedes gentium ita assignat, ut Japheto totam Europam usque ad Gades & in Asia in Tauro & Amano montibus usque ad Tanaim & regiones septentrionales celsisse, affirmet. Chamus vero cum suis Africam & in Asia à Tauro monte usque ad Oceanum Arabicum ab Oriente vero fines habuisse dicatur Babyloniam, Euphratem & Tigrim. Sem vero cum suis orientalem Asiam occupasse. De America Josephus, quem etiam sequitur Hieronymus, nihil noverat.\* Nobis autem ad demonstrationem, quam nunc intendimus, abunde sufficit, ex his sole clarius esse, orbem cœpisse, sensim sensimque fuisse habitatum, Strabonem, Ptolemæum, Melam, Plinium eosdem regnorum conditores constituere, quos Moses, omnes historicos antiquissimos origines gentium agnoscere & ulterius quam Moses, imo eo usque non progredi, imo non dari monumenta, quæ gentes aliunde arcessant, quam ex oriente secundum Mosen; verbo veritati historicæ, in Mose præsertim quoad origines gentium contentæ, suffragia certa & nullatenus inficianda, perhibere omnia.

§. 7.

Quemadmodum autem Moses origines Gentium & totius hujus orbis habitati ex vero, ut vidimus, tradidit; ita etiam ortum temporis, dierum & noctium, annorum, ætatum &c. edocuit Gen. I. 5. 14. seqq. Psal. CXXXVI. 7. seqq. Gen. VIII. 22. seqq. Jer. XXXI. 35. 36. C. XXXIII. 20. 21. 25. Pl. LXXXIX. 37. 38. Quas experientias non tantum habemus hodieque irrefragabiles, & ad finem mundi usque habituri sumus in posterum, sed à Mose etiam hæc promanarunt ad externos. Sic Thales, ex Phœnicia oriundus, quærenti, quid prius fuisset, nox an dies? respondit, noctem fuisse priusquam fuisset una dies: *πρὸς τὸν πυθόμενον πρῶτον ἐγενόνη νύξ ἢ ἡμέρα; ἢ νύξ (ἔφη) μῆν ἡμέρα πρῶτον.* Sic & Cicero vicissitudines dierum atque noctium commutationesque temporum quadripartitas ad maturitatem frugum & ad temperationem corporum aptas perhibens, subjungit, omnium modera-  
to-  
rem

---

\* An olim fuerit cœgnita? disputant affirmantes Hornius de origine Gent. American. Cluverus, Strauchius &c. & negantes Witfius Miscell. Tom. II. Exerc. XIV. Vitringa in Geogr. S. p. 2. 3. &c. conf. & Voyages curieux & nouveaux des Messieurs Hennepin & de la Dorde Cap. LVII.

torem & ducem solem lunamque accretione & diminutione luminis quasi fastorum notantem & significantem dies. \* Et Plinius eorum, Planetarum puta, medius sol fertur, amplissima magnitudine & potestate; nec temporum modo terrarumque, sed siderum etiam ipsorum, cœlique Rector. \*\* Et Claudianus canit:

Ille Pater rerum, qui tempora dividit astris. \*\*\*

Uti vespertinum tempus volente Deo matutino anteposuit Moses: ita eum secuti sunt Phœnices, Arabes, Ægyptii, Numidæ & Galli veteres ac Germani & nunc quoque, inquit Huëtius, Poloni ac Bohemi. \*\*\*\* Imo ad Græcos quoque & Romanos primordial'is hæc disciplina Mosai- ca fuit propagata. Hesioidi Erebus, iterum verba sunt Huëtii, ipsum est ערב Mosis. Diem nocte fatum, proindeque recentiore finxit: Moses quippe vespertinum tempus matutino anteposuit & post tenebras lucem creatam dixit. \*\*\*\*\* Unde Dianam, quæ Luna est & nocti præest, priusquam Apollinem, sive Solem, natam esse fingebant. † Apud Romanos dies itidem à media nocte incipiebat, cujus rei rationem reddere conatur Plutarchus in Quæstionibus. Vide Gellium †† & Macrobius. ††† Temporis autem ipsius initium, à Mose traditum, ab omnibus gentibus & gentium historicis fuit semper agnitum & etiamnum agnoscitur. Testimonia Chaldæorum, Phœnicum & Ægyptiorum à Thom. Stanlejo in Philos. Orient. Lib. I. †††† Hugone Grotio ad Lib. I. de Verit. Relig. Christ. & J. Marshamo initio Ægyptiaci Canonis allata sunt, quæ nunc brevitatis studio non exscribemus. Antiquissimi historici, quorum memoria superat, sunt Sanchoniathon rerum Phœnicarum Scriptor, qui eadem ratione, uti Moses à mundi conditu historiam suam exorditur &, quod Protogonus & Æon primi fuerint homines perhibet. Berosus, historiarum Chaldaicarum autor, idem mundi initium constituit, & uti argumentum ejus referunt Abidenus, Apollodorus & Alexander Polyhistor decem ante diluvium in Chaldæa reges constituit, quorum nomina Alorus, Alasparus, Amelon, Amenon, Metalarus, Daurus, Ædorachus, Amphis, Oliartes & Xisurhus. Rerum Ægyptiacarum scriptor primus erat Manetho, cujus calculus

D 2

etſi

\* Tuscul. Quæst. Libr. I. n. 68.

\*\* Libr. II. Hist. Natur. Cap. VI.

\*\*\* vid. Clericus ad Cap. I. Genes.

\*\*\*\* Demonstrat. Evangel. p. 103.

\*\*\*\*\* ibid. p. 75. 76. † ibid. p. 103. †† Noct. Attic. Lib. III. cap. 2. p. 90.

††† Saturn. L. I. cap. 3. †††† in Operibus Philosoph. Clerici T. II. p. 167. seqq.

et si plus difficultatis habeat, hic non excutiendæ, mundi tamen & renovati & primi initium agnoscit, cum præsertim ex Diodoro pateat, Antiquarios Ægyptiacos eundem quem Moses in inchoanda historia ordinem servasse.\* Neque alia mens fuit historicis aliis Herodoto, historiæ Patri Tullio dicto, Diodoro Siculo cum Ægyptiis dicenti: καὶ γὰρ τὴν ἐξ ἀρχῆς τῶν ὄλων σύστασιν μίαν ἔχειν ἰδέαν ἑρανόν τε καὶ γῆν, μεμιγμένους αὐτῶν τῆς φύσεως. Cum primum res universæ existere cœpere, unius vultus fuisse cœlum ac terram, permixta eorum natura. Eadem mens fuit Trogo, cujus epitomator Justinus ita incipit: principio rerum gentium nationumque imperium penes Reges erat.\*\* Apud Hesiodum in Theogonia v. 45. ἐξ ἀρχῆς est ab initio mundi, quod & alibi apud eundem poetam occurrit. Idem significat καὶ ἀρχαῖς apud Apollodorum Physicum à Diogene Laërtio in Zenone laudatum. Hac enim locutione sententiam Stoicorum de mundi creatione exponere orditur, inquit Clericus. † Sed de Hesiodi aliorumque poetarum suffragationibus alibi dicendi uberius erit occasio.

§. 8.

Jam ut ad Jacobum ejusque posteros revertamur, in ipsa historia Jacobi haud levia veritatis historicæ deprehendimus fundamenta. Nam ut vel tribus tantum attingamus monumentum perenne à Socero ejus Labane Syro cum suis & Jacobo positum, quod ille suo idiomate יַעֲקֹב בְּרֵךְ אֱלֹהִים, Jacobus vero in perpetuam memoriam יַעֲקֹב vocavit Gen. XXXI. 48. nomen Israelis, quod ipse Θεάνθρωπος, cum ipso colluctatus, ei perpetuæ indidit Cap. XXXII. 28. denominationem palæstræ Ἰσραήλ vocatæ ψ. 30. claudicationem Israelis, quæ hanc pugnam fuit consecuta ψ. 31. morem Israelitarum constantissime servatum, quo ob hanc historiam nervum non comedunt filii Israel, ut loquitur Moses usque in præsentem diem, quia emarcuit in femore Jacob ψ. 32. ut taceamus Altare in agro ab Hemoreis à Jacobo emto in cultum publicum erectum Cap. XXXIII. 20. eadem ratione uti etiam Avus ejus Abrahamus Bersabæ, in memoriam fœderis inter Abimelechum & Abrahamum conditæ, invocavit ibi nomen Dei æterni Cap. XXI. 33. quod repetiit Isaacus, urbem Bersabam perfecturus, quæ ita vocatur, ut Moses ait, usque in præsentem diem Cap. XXIII. 33. ut freamus conditum urbis Bethel, quæ ante Luza vocabatur, apparitionis divinæ, Jacobo factæ, sempiternum monumentum Cap. XXVIII. 18. 19. confirmatum Cap. XXXV. 7. & cum Debora ibidem moreretur, in hujus memoriam præterea vocatum est nomen loci illius quercus fletus ψ. 8. Imo in eodem capite in memoriam mortis Rachelis hæc habentur: Mortua est ergo Rachel & sepulta est in via, quæ ducit Ephratham, hæc est Bethlehem. Erexitque Jacob titulum super sepulchrum ejus: hic est titulus monumenti Rachel usque in præsentem diem ψ. 19. 20. conf. 1. Sam. X. 2. Ut, inquam, hæc taceamus, Jacobus sane indubitato Pater & fuit & ab omnibus agnoscitur, omnium, qui hodieque vivunt, Judæorum. Cum enim Pater fuerit duodecim filiorum, à quibus tota gens proficiscitur, quæ postmodum in duodecim tribus fuit distributa, usque ad novi testamenti tempora conservatas, par omnino esset, ut de his basibus, uti populi Judaici, ita religionis Judaicæ, pauca adhuc subnecteremus. Judas non enim nisi duorum erimus memores Gen. XXIX. 35. quoniam in principatu Rubeno est surrogatus Gen. XLIX. 10. Deut. XXXIII. 7. Jud. I. 2. 2. Chron. VI. 6. toti regno & populo nomen est largitus, ipsum Messiam daturus. Tam frequenter tamque clare non Scriptores tantum sacri, sed etiam exteri

&

\* Diodor. Libr. I. \*\* Justinus Libr. I. Cap. I. † Comment. in Gen. Cap. I.

& Judææ & Judæorum meminerunt, ut, cum hodieque supersint innumeri, impossibile sit, quenquam de hac re dubitare. Quod si tamen quis antiquorum de Judæis relationem, quanquam variis falsis permixtam, velit pernoscere, adeat Strabonem Libr. XVI. de iis agentem, Dionem Libr. XXXVII. Diodorum Libr. XL. Plinium, Tacitum Libr. V. Histor. Justinum Libr. XXXVI. Cap. II. Alexandrum Polyhistorum & alios innumerabiles. Dividebatur Judæa in duas partes, in citeriorem & ulteriorem. Hæc Peræa dicta, quia, ut inquit Plinius à cæteris Judæis sit amne dissecta. Nam & regio, quæ trans Euphratem est, Peræa nominatur, ut docet Strabo. Alter erat Josephus ex Rachele, cujus in hac historia Mosaica memorabile admodum est nomen, cum novam quasi formam genti Judaicæ, eam in Ægyptum ob annonæ penuriam adducturus, atque fatorum, quæ ibidem est perpessa, exitus, à Mose auxiliante Deo procurati, aliorumque occasionem subministraturus. Non reperemus hæc ex Scripturis omnibus satis superque cognita, sed illud potius ex profanis ad rem nostram magis facit observasse, quod id in causa sit, quam ob rem scriptores exteri plerique omnes Judæorum originem ex Ægypto repetant. Celebris est locus Strabonis, quem latine tantum exscribimus. Fama asserit, inquit, Ægyptios fuisse eorum progenitores, qui nunc Judæi appellantur. Nam Moses unus ex Ægyptiis Sacerdotibus, cum partem quandam regni haberet, ac moleste ferret eorum instituta, hinc eo commigravit. Discessere cum eo multi, quibus divina curæ erant. Dicebat enim ille, quomodo Ægyptii non recte sentirent, qui ferarum ac pecorum imagines Deo tribuerent, nec Græci, qui Deos hominum figuris insignirent & quod id solum Deus esset, quod nos contineret, (quæ quidem Moysi sententia minime fuit) terram ac mare, quod cælum & mundum & rerum omnium naturas appellamus, cujus profecto imaginem nemo sanæ mentis nostris similem audeat effingere. Oportere igitur, relicta omni simulacrorum effigie & digno ei fano ac templo constituto, sine forma colere, ac semper bonum aliquod ac donum & signum à Deo expectare, eos præsertim, qui caste integreque & cum justitia viverent, cæteros vero nequam. Ille hæc dicens hominibus bonis non sane paucis id persuasit & in eum locum deduxit, ubi nunc sunt Jerosolyma. Adjungam locum Taciti, qui de Judæis ait: Quidam regnante Iside, exundantem per Ægyptum multitudinem, ducibus Hierosolymo ac Juda, proximas in terras exoneratam (memorant). Plerique Æthiopum prolem, quos Rege Cepheo, metus atque odium mutare sedes pepulerit. Plura ex hoc loco Taciti dabimus alibi.\*

§. 9.

Quanquam autem instituti nostri brevitatis non permittat, ut tribuum harum Judaicarum filium historicum pertexamus ulterius: illud tamen à tertio Jacobi filio Levi nobis resumendum est. Erat is pater Gersonis, Kahath & Merari, à quibus omne genus Leviticum proficiscebatur. Medius filius Kahath Pater fuit Amrami, qui ex Jochebeda Aaronem & Mosen sustulit, annos natus centum & septem supra triginta, ut constat ex Cap. VI. Exodi  $\psi$ . 16 - 20.

§. 10.

Atque ita ad Mosen pertingimus, de cujus veritate historica, in aprico ponenda, omnis hæc nostra instituta est tractatio. Quod si jam, quemadmodum hætenus, à primis rerum, gentium &c. originibus usque ad Mosen earum magistrum descendimus, nunc ordine retrogrado ascendamus, manifestum nobis erit, quod eas res edocuerit Moses, quæ quinque vel sex hominum ministerio ad eum potuerunt promanare; re ipsa vero ab innumeris, in quos Ecclesia Dei jam tum abiverat,

celle

\* Libr. V. Histor. c. II.

eum notissima & perspectissima pervenerint. Nam Amramus ex. gr. Mosis Pater, qui mortuus est anno mundi MMCCCCXLI. natus vero MMCCCV. vivum adhuc vidit Josephum, Ægypti administrum, mortuum MMCCX, natum vero MMCC, Josephus plus quam semifeculum vivum vidit Jacobum, mortuum MMCLVI. natum vero MMCIX, Jacobus vivum vidit semifeculum Semum, mortuum MMCIX, natum vero MDXCVI, Semus LX. annos in vivis habuit præsentem Metusalah, mortuum MDCLVI. natum vero DCLXXXVII. Metusalah conversatus est cum Adamo duo secula integra & adhuc ultra semifeculum. Imo uti ex iis, qui Noacho priores fuerunt, eos omnes viderunt, unde descenderant, ita Noachus omnes antediluvianos patriarchas, excepto Adamo, Setho & Enocho, vivendo attingit adeoque non nisi tres generationes ab orbis conditu absuit, & cum mortuus fuerit anno mundi MMVI. & orbis renovati CCCL, vix duæ inter eum & Amramum Mosis Patrem natum MMCCCV. intercedere potuerunt generationes, per quas diluvii & orbis renovati memoria ad Mosen erant propaganda. Vel si iterum placet descensus: Adamus primus homo in vivis vidit Lamechum, hic Semum, Semus Abrahamum, Abrahamus Jacobum, Jacobus quintus homo Mosis cœtaneus: qua demonstratione quid potest esse apertius? Et cum in iis omnibus, quæ hæcenus adduximus, verus fuerit Moses, non est cur quisquam longævitatem hanc Patriarcharum in dubium revocet. Hujus enim rei testes habeo, verba sunt Josephi, quotquot Græcos inter barbarosque rerum antiquarum monumenta reliquerunt. Nam & Manethus, qui Ægypticam & Berofus, qui Chaldaicam scripsit historiam & Molus & Hestæus & Hieronymus Ægyptius, quique res Phœnicum prosequuti sunt, uno mihi omnes ore suffragantur. Imo Hesiodus, Hecatæus Hellenicus, Acusilanus, Ephorus item & Nicolaus veteres mille annos vixisse autores sunt. Et Varro fidem temere denegans huic antiquorum sententiæ, eo ipso, antiquorum eam fuisse, confitetur, uti ex Lactantio observavit Grotius & Clericus, ita enim Lactantius: quod literis divinis proditum, & per omnium scientiam publicatum, cum Varro non ignoraret, argumentari nixus est, cur putarentur antiqui, mille annos vixisse. Ceterum cum paginarum angustia non patiatur, ut plura adspargamus, quæ supersunt, dissertationi sequenti asservamus.

### COROLLARIA.

- I. Moses est Pentateuchi Auctor & Scriptor.
- II. Doctrina Mosaica est vera, certa, divina.
- III. Miracula Mosaica sunt vera & divina.
- IV. Moses verus fuit Propheta divinus, & Prophetarum quidem, si à Christo discesseris, maximus.
- V. Nuperus Interpretes Werrheimensis Pentateuchum misere depravavit, neque doctrinam Mosis ex eo elicuit, sed suam ei infarfit, certatim Viris doctissimis justas daturus pœnas.
- VI. Ex sapientissimis rationibus non placuit Deo per Mosen explicitum Theologiæ Systema proponere; ex commercio Dei cum hominibus fidelibus & Patriarcharum doctrina satis notum perspectumque.
- VII. Neque tamen doctrina Mosaica à doctrina Christi quoad essentiam vel hilum differt.
- VIII. Itaque Moses Christiana dogmata complectitur omnia, adeoque non tantum literaliter, sed etiam vel maxime spiritualiter est intelligendus. Litera enim occidit, Spiritus autem vivificat.
- IX. Finis Scriptorum Mosaicorum est Christiana pietas.
- X. Ea demum vera est Theologia, non quæ Scholæ, sed quæ vitæ & æternitati discitur.







